




DE
BGI
PIA
DA
55











M Tuscher fecit


BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS



DE R

RATION

li, et Obe

rio p

NIC

Si quis est

ra

DE REGENERATIONE SPIRITVALI, et Obedientia Deo necessario præstanda a Regeneratis.

Authore

NICOLAO HEMMINGIO.

Si quis est in Christo, noua Creatura est. 2. Cor: 5.

1558.

Errata ſic corrige.

Facie 2. linea 20. lege veré
Fa: 18. li: 17. pro peccatis lege operibus.
Pag: 24. linea 22. pro hos habet, lege hi ſunt.
Pag: 27. li: 7. pro quomodo lege quum.
Pag: 30. li: 22. pro ita lege ira.
Pag: 32. li: 19. poſt corporis adde ſequitur.
Pag: 33. li: 19 adde & Deus filius creauit mundum.
Pag: 34. li: 11. lege fidei.
Pag: 34 li: 10. pro vt fit, lege vnde fit vt.
Pag: 41. li: 22. lege effectus.
Pag: 48. li: 3. poſt mortis adde Chriſti
D quinto li: 3. pro ſpecies lege ſpiras.

Minutiora boni conſulat pius lector.



ORNATISSIMO VIRO,
Pietate, Sapientia, ac generis ſplendo-
re præſtanti D: Iohanni Friis De Heſ-
ſellager, Cancellario inclyti Regis Da-
niæ, Noruegiæ &c. Prudentiſsimo,
Domino ac patrono ſuo ſemper ob-
ſeruando, Perpetuam gratiam & pa-
cem a Deo Patre per Dominum
noſtrum Ieſum Chriſtum, Ni-
colaus Hemmingius
Optat.

ECce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum, Sicut vnguentum bonum ſuper caput, defluens ſuper barbam, barbam Aaron: quod defluit ſuper oram veſtimentorũ eius, Sicut ros Hermon, & qui deſcendit ſuper montes Zion: quoniam illic mandauit Dominus benedictionem: vitam vſq; in ſæculum. In hoc ſacro carmine, Regius propheta Dauid, canit quám ſit res læta, bona & iucun-

da, sancta in Ecclesia & politijs concordia, Et elegantissimis imaginibus dépingit quod initium, qui progressus, & quis fructus sit huius tam lætæ, bonæ, & iucundę concordiæ: Id quod ideo facit sanctissimus rex, vt omnes suos subditos ad concordiam amandam, admirandam, fouendam & colendam secum excitet. Cum etenim optimo vnguento, hoc est, balsamo effuso in caput Aaronis, & defluenti in barbam, & a barba in oras vestimentorum decurrenti, concordiam comparat, veræ concordiæ initium facit pium in religione consensum, ex balsamo Spiritus sancti promanantem. Nam vt vnguentum, Spiritum sanctum: caput Aaronis, Christum: & eiusdem barba diuini verbi precones figurat: Ita vestimenta Aaronica Ecclesiam reliquam typicé notant. Vnguentum itaq; Spiritus sancti in caput Sacerdotis Christi effusum, dimanat in Apostolos & reliquos pios ver-

bi diuini precones, & inde in reliquam multitudinem per sanctissimum verbi diuini ministerium decurrit. Cum enim pié & concorditer prædicatur Euangelium, auditores qui se dociles præbent, donantur Spiritu sancto, eoq́ refecti tanquam iucundissimo balsamo, coalescunt inter se veræ charitatis vinculo, ac ita perfusi sanctissimo oleo, mutuam in Christo fouent concordiam. En principium & progressus huius nunquam satis laudatæ concordiæ. Eòdem spectat & imago roris in montes Hermon & Zion descendentis, Nam sicut rore cœli omnia crescentia reficiuntur, ac veluti exhilarantur, fructumq́ ędunt iucundissimum: Ita sancta concordia & vitam iucundissimam reddit, & fructus longé gratissimos producit. Quare non abs re dixisse putandus est, qui ait: Concordia res paruę crescunt, & discordia res magnæ dilabũtur. Sed quæ caussa est? quoniam illic, hoc est, inter

 con-

concordes mandauit Dominus bene-
dictionem, & vitam vſqꝫ in ſeculum.
Promiſsio ergo diuina vberrimum
ſanctæ concordiæ fructum adfert.
Nam vbi vera eſt in Eccleſia &
politijs concordia, illic ſe Dominus
ſua benedictione gubernatoribus &
ſubditis adeſſe, & perpetua eos bene-
ficentia complecti ſtatuit. Hoc con-
cordiæ piæ Encomiõ, dum lego apud
Dauidem, cogito de noſtro regno,
& gratias ago Filio Dei, qui ſuum
ſanctiſſimum balſamum nobis quoq́ꝫ
impertiri dignatus eſt. Nam & Rex
noſter clementiſsimus, re & nomine
Chriſtianus, balſami huius ſacri par-
ticeps, veram religionis concordiam
colit, ac velut vnguentum fragrantiſſi
mum in ſuos ſubditos, nobiles &
alios in ſua aula, adeoq́ꝫ in toto reg-
no effundit: adeo vt nihil iucundius
iudicent veré pij, quám vt eodem
ſpiritus balſamo cum illo veluti im-
buantur, ex quo longé iucundiſſi-
mus

mus percipitur fructus, ſanctus in religione conſenſus, ac in ſtatu politico, fœlix beataq́ꝫ concordia, quæ bona vt ſint perpetua, donet nobis pacis & concordiæ princeps, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Cyclopicæ naturæ, quæ ſolummodo venantur gloriam mundi, & voluptates ſectantur, non intelligunt quàm diuinus theſaurus ſit pius in religione conſenſus, atq́ꝫ ideo falſe derident Euangeliũ, & omnia quæ de religione diſputãtur ſusq́ꝫ deq́ꝫ habent, in hoc potius incumbentes, vt per fas & nefas, bona Eccleſiæ quæ adhuc reliqua ſunt deprędentur, & in ſuum luxum ſacrilege conuertãt, Verum his, quia fruſtra ſurdis canitur, nihil aliud hoc tempore dictũ velim, quam illud Iſaiæ: Veh qui prędaris, & non es prædã paſſus, pręuaricaris & nulli ſunt in te pręuaricati, cum cõſummaueris deprędationẽ, deprędaberis, Cum fatigatus deſieris contemnere, cõtemnêris. Hunc ſibi verũ vatẽ fuiſſe, nõ

 ſine

ſine magno ſuo malo experietur olim. Cæterum vt concordia in Eccleſia maneat ſtabilis & firma, neceſſarium erit veræ concordiæ vinculum retinere, quod eſt ſacrum Dei verbum, traditum in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, ac ſummatim repetitum in Symbolis. hoc verbum retinendum eſt, & præferendum omnibus humanis ac Philoſophicis figmentis: Nam illud ſolum ſalutis neceſſariam doctrinam cōtinet. Vt autem hoc verbum tenacius retineri poſsit, debent interpretes ſcripturæ nequaquam imitari Nadab & Abihu, qui ſacrificium facturi, alienum ignem ſuis impoſuerunt acerris, cuius temeritatis mox pœnas luerunt: Nam igni cœleſti proſtrati & occiſi ſunt. Hac imagine non dubium eſt ſignificari hęreticos, qui ſcripturā interpretantes, interpretationes petunt ex Philoſophia & humana ratione, quorū interitus caſu Nadab & Abihu ſignificatus eſt. Sed potius Aaronem,

Eleazer, Sadoch & alios imitabuntur, qui ſacrificantes ignem ex perpetuo altaris Dei igni ſumpſerunt, quo ſuas accenderunt victimas. hoc eſt, debent obſcuras ſcripturæ ſententias, cum perſpicuis ſcripturæ locis conferre, & inde mutuari lucem, & veluti ignem quendam, quo illuſtria fiant obſcuriora loca. Multi cum audiunt nos verbum Dei, tanquam vitæ atq; actionum in Eccleſia regulam vnicam prædicare, putant nos aſpernari cum Philoſophiam totam, tum Eccleſiæ & ſanctorum patrum interpretationes: Sed vtrumq; conſtanter pernegamus. Nam quantum ad vitam politicam, & œconomicam attinet, multa vtiliſſima pręcepta ex Zenophonte, Iſocrate, Platone, Ariſtotele, Plutarcho, Cicerone & aliis multis Philoſophis, & ex Iuris conſultorum monumentis peti poſſunt. Sed cum vera colendi Deũ ratio agitur, nihil ſani reperire eſt in Philoſophorũ monumentis. Hic enim

ſolum verbum Dei lucerna eſſe debet pedibus noſtris, quam lucernam ſi ſequamur, rectà nos ducet in thalamū ſponſi noſtri Ieſu Chriſti. De Eccleſia autem & ſanctorū patrum interpretatione ſic ſentiendum eſt. Triplicia ſunt ſcripturæ pronunciata, quędam ita clara & manifeſta ſunt, vt nulla luce aliunde petita indigeant. Huius generis ſunt omnia, quæ omnino ad noſtram ſalutem ſunt neceſſaria: vt decalogi pręcepta, de diligendo Deo & proximo, vt promiſſiones Euangelij, vt doctrina pœnitentiæ, baptiſmi, cœnæ Domini, &c. Hic non recipienda eſt vllius hominis interpretatio, pugnans cum manifeſtis dictis.

Quædam ſunt dubia, quorum multa mediocri diligentia & collatione adhibita, diiudicari poſſunt, ordine rerum obſeruato. Quædam ſunt plane obſcura, quæ ex locorum collatione, & obſeruatione ordinis rerum percipi non poſſunt, vt aquæ

quæ

quæ ſunt ſuper cœlos, hæc alij de aquis quæ in nubibus vehuntur, interpretantur, alij de aquis ex quibus vndecimum cœlum conſtare dicunt, accipiunt. Talis eſt diſputatio de ortu animarum, quas alij immediate creari dicunt, & infundi corporibus, iam in vtero materno formatis, alij eas, vt quædam quæ putant abſurda deuitent, fingunt ex traduce oriri. In huiuſmodi obſcuris quæſtionibus, non reijciendum eſt teſtimonium veterum, quorum interpretationem, ſi non pugnat cum fundamento, recipiendam iudico. Verum hoc interim ſciendum, non ita extollendam eſſe Eccleſiæ authoritatem, vt ſinamus nobis obtrudi humana ſomnia, & excuti e manibus manifeſta oracula ſpiritus ſancti, quaſi pulueri & cineri liceret ſuam authoritatem diuinæ comparare, quod tamen in papatu fieri manifeſtum eſt, non ſine mediatoris noſtri

Iesu Christi magna cōtumelia, & infir-
marū animarum deplorādo interitu.

Papistæ hodie quatuor potissi-
mum monstra (quibus reliqua nuga-
rum & superstitionum colluuies de-
seruit) defendunt: Missam, purgato-
rium, inuocationē sanctorum, & ope-
rum iusticiam, quæ omnia, cum pug-
nant cum manifestis oraculis Dei, Cy-
clopico furore scripturam abījciunt
Papistæ, ac prouocant ad Ecclesiæ
(quam ipsi fingunt sine verbo Dei)
authoritatem, quasi Ecclesia Dei cen-
seri posset turba sacrificulorum, &
Monachorum, quæ vocem De rabiosé
contemnit, atq; in eius locum doctri-
nas Dæmoniorum euexit. Hos Pa-
pisticos errores clarissimis demonstra-
tionibus refutat Philippus Melanch-
thon, vir optime de Ecclesia Chri-
sti meritus. Hæc ideo commemoro,
vt cogitetur quám sit necessaria
doctrinæ cœlestis in Ecclesia defen-
sio, & quod in miserrimam carni-
fici-

ficinam incidant homines, postquam vel paululum cesserint Diabolo, & locum doctrinis Dæmoniorum fecerint. Hoc itaq; ne fiat requiritur pia gubernatorum cura, quæ cauet, ne sint qui priuatis affectibus morem gerentes, scindant Ecclesiæ vnitatem, ac ita Turcis & Papistis, nō dico fenestras, sed integra regna & prouincias aperiant. Tota hæc Dania nouit, quanta solicitudine caues, prudentissime Domine Cancellarie, ne sint qui vel in politico regimine, vel in Ecclesia moliantur discordiam: Huc enim omnes tuæ curæ, huc vigiliæ, huc nocturna diurnaq; consilia tua, huc actiones tuæ omnes referuntur, vt bene composito Ecclesiæ & reipublicæ statu, paci diuturnæ & tranquillitati sanctæ consulatur. Idem tecum faciunt multi heroes, ac sapientissimi Regis & regni Conciliarij, quorum merita a me satis laudari nequeunt. Sed ad te reuertar, qui patronus singularis es & Mecenas

cęnas omnium literatorum hominum. Totus enim in hoc es, vt quám plurima beneficia in docentes & discentes conferas, & nemini eorum noceas, id quod viri boni proprium esse officium, olim pronunciauit M: Cicero. Cæterum quoniam ego quoq; inter alios quam plurimos, maxima tuæ dignitatis beneficia sum expertus, volui hoc literario & scholastico munusculo, animi mei erga tuam dignitatem declarare gratitudinem, quod vt æqui boniq; consulas, etiam atq; etiam rogo. Tametsi autem haud ignoro hoc munusculum vilius videri possé, quám vt tuæ dignitati offerri debeat: Tamen quia quęstio, quam hic mediocri, vt spero, diligentia tracto, ad concordiam in Ecclesia seruandam, vtilis esse videtur, speraui hunc meum laborem tuæ dignitati haud ingratum fore. Pręsertim cum ab amicis tuis sæpe audiuerim, optare te vt aliqua inueniretur ratio rudem populum de

[illegible]nis operibus docendi, ne nimis laxa[illegible]ntur habenæ imperitæ multitudi[illegible]i, quæ alioqui (vt est ignauia nostra) satis segnis est ad præstandum officium. Hoc autem fieri posse admodum commode existimo, Si vera illa necessitas sanctè viuendi proponatur, & veræ caussæ, quas expono in his paucis pagellis, fideliter & prudenter populo inculcentur. Quamuis autem doctrina perpetua Ecclesiæ Dei, de gratuita iustificatione per solam Fidem stat immota, vt quæ fundamentum habeat veritatem Dei infallibilem: Tamen diligenter docendi sunt homines, quod debitores sint Dei, quod vocati sint non ad turpitudinem, sed ad sanctificationem, quod fides quemadmodum Iacobus docet, mortua sit sine operibus, hoc est, quod non s[illegible]ra & germana filiorum Dei, [illegible]uam iactant homines [illegible]ine pœnitentia, & obe-

obedientia erga Deum. Quare recti∫sime dixi∫∫e Nazianzenũ cen∫eo qui ait: Sicut fides ∫ine operibus e∫t mortua: Ita quoq; opus ∫ine fide mortuum e∫t, præluceat ergo fides, qua ∫ola iu∫ti ∫umus coram Deo, donati iu∫ticia Chri∫ti, & habeat coniunctum ∫uum germanum fructum, pietatem erga Deum, innocentiam vitæ, beneficentiam erga proximos, & ∫anctam quandam ∫olicitudinem in eo vitæ genere, ad quod qui∫q; e∫t vocatus. Vale vir clari∫∫ime, Mecænas docentium et di∫centium pietatem, et hone∫tas di∫ciplinas in his Regnis. Haffniæ 24. Decembris. Anno a Chri∫to nato,

1558.

DE

DE SPIRITVALI Regeneratione.

CVm Paulus Rom: 6. & Petrus primæ primo, ex vi & natura ſpiritualis regenerationis, neceſſitatem ſanctè viuendi colligant, & Chriſtus Iohan: 3. teſtetur neminem poſſe introire regnum Dei niſi ſit regenitus, ſignificans regenerationem initium eſſe Chriſtianiſmi: operepræcium eſſe duxi, claram & perſpicuam regenerationis doctrinam ex variis ſcripturæ locis collectam proponere, quó ea cognita, in Chriſto indies adoleſcere ſtudeamus, & extincto paulatim veteri homine, cũ ſuis concupiſcentiis & prauis deſideriis, iuſtè, piè & modeſtè, in hoc ſeculo viuamus, expectantes beatam ſpem, & manifeſtationem gloriæ magni Dei & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſeipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, et purgaret ſibi populũ peculiarẽ ſectato-

tatorem bonorum operum.

Vt autem certus tractandi modus nobis constet, hunc sequemur ordinē. Primum vnde proficiscatur quomodo applicetur nobis, et sentiatur regeneratio, dicendum est.

Deinde eius clara est statuenda definitio, vt quæ sint veræ huius nouæ creaturæ notæ, intelligatur.

Tum partes eius constituendæ sunt, Quas sequetur causarum ad spiritualem hanc regenerationem concurrentium distinctio. Huc incrementa, vsus, fines & consummatio regenerationis adijcientur. His addetur indicatio errorum circum bona opera cum breui confutatione in qua aspergentur veræ causæ bonorum operum vt constet quanta sit necessitas pié & sancte viuendi ijs qui volunt veri esse qui dicuntur hoc est Christiani.

Regeneratio igitur proficiscitur ex virtute & efficacia mortis et resurrectionis Christi. Sicut Paulus ad Ro: 6.

his verbis probat. Nū ignoratis quod quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortē eius baptizati sumus? Consepulti ergo sumus ipsi per baptismum in mortem, vt quemadmodum suscitatus est Christus ex mortuis, per gloriam patris: Sic & nos in nouitate vitæ ambulemus. Hæc Pauli verba primum docent quod mors Christi efficax sit ad domandum & præmendū veterem hominem, hoc est, ad nequitiam carnis nostræ extinguendā & profligandam. Nam vt illi baptizari dicūtur in Christum Iesum, qui per baptismum dicantur & consecrantur Christo: Ita baptizantur in mortem eius omnes, in quibus per efficaciam mortis Christi peccatum moritur et aboletur vt in vnū corpus, in vno capite Christo coalescant. Proficiscitur itaq; regenerationis initium (quod est mortificatio veteris hominis) ab ipsa mortis Christi virtute.

Deinde docent hæc Pauli verba re-

ſurrectionē Chriſti vim eſſe vnde noſ-
tra nouitas fluat, quæ eſt regeneratio-
nis finis, atq; adeo vita ipſa qua iam
viuit noua creatura.

Præterea huius regenerationis ſym
bolum facit baptiſmum. Nam quod
foris figurat ſignum, hoc intus opera-
tur mors, ſepultura & reſurrectio
Chriſti per ſpiritus ſancti gratiā. Hoc
ipſum docet Apoſtolus ad Colo: 3. vbi
ſic ait. Itaq; ſi reſurrexiſtis cū Chriſto
quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus
eſt in dextera dei ſedens, quæ ſurſum
ſunt cogitate, non quæ ſunt ſuper ter-
ram. Mortui enim eſtis & vita veſtra
abſcondita eſt cū Chriſto in Deo. Hic
Paulus exhortationem petit a vi rege-
nerationis, quæ in morte Chriſti, & in
eiuſdem excitatione ex mortuis colloca
tur. Nam cohærent inter ſe mori, &
reſurgere cum Chriſto. Vt enim par-
ticipatione mortis Chriſti mortifica-
mur peccato, mundo, legis deniq; ele-
mētis atq; adeo toti legi: Ita reſurrecti-

onis

onis participatione viuificamur Deo, vt iam noua creatura effecti, virtute mortui resuscitatiq́ꝫ Christi indies magis atq́ꝫ magis veterem hominem aboleamus.

Sed quomodo hæc virtus mortis & resurrectionis Christi nobis applicatur? Id diuus Petrus docet in prioris Primo his verbis. Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum multam suam misericordiam regenuit nos in spem vitæ, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarcescibilem, repositam in cœlis erga vos, qui virtute Dei custodimini per fidem in salutem, & postea in eodem capite, Regeniti (ait) non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per sermonem viuentis Dei, & manentis in æternum.

In hisce testimonijs discerté exprimuntur tres applicationis causæ, qua-

rum, Prima eſt miſericordia dei, qua motus Deus non vult hominem in ſua prima natiuitate perire, modo propoſitum & oblatum beneficium nouæ regenerationis non recuſauerit. Secunda, verbum Euangelij, quod ex mera ſua miſericordia promulgari toti mundo mandauit Tertia eſt fides verbum recipiens. In verbo enim vis ſpiritus latet, quæ in audientibus, iuxta ordinem diuinitns inſtitutum, fidem operatur. Eſt itaq; verbum Euangelij fide receptum ſemen nouæ creaturæ, quæ per gratiam regenerationis naſcitur. Vnde Ioh: 1. dedit poteſtatem, vt filij Dei fierent, quotquot credunt in nomen eius. In quibus verbis diligenter relatio obſeruanda eſt. Nam nomen prædicationem reſpicit, Quare is in Chriſti nomen veré credit, qui talem ipſum ſtatuit ſibi eſſe, qualis nominatur & prędicatur in Euangelio, hoc eſt, quod ſit agnus Dei qui tollit peccata mundi, quod ſit medicus, qui omnes ægrotos

ad ſe

ad ſe vocat, quod ſit ſacerdos qui placat iram patris, quiq; in ſe iram iuſti iudicis deriuat, breuiter quod ſit ſaluator omnium in ſe credentium. Vt ergo Petrus ſemen huius nouæ creaturæ verbum Dei ſtatuit: Ita Iohannes fidem requirit, qua recepto ſemine, noua hæc natiuitas peragitur. Nam niſi accederet fides vi ſpiritus efficacis in verbo, nulla vnquam fieret regeneratio quæ regeneratio, in hunc fit modũ. Cũ ſpiritus ſancti virtute fides ad prædicationẽ verbi infnnditur cordi hominis, occulté & arcano quodam et nobis prorſus incognito modo regignitur homo, ac fide iam donatus, viuo conſcientiæ ſenſu non adoptionis modo gratiam, ſed etiam vitæ nouitatem, timorem dei dilectionem proximi, & alia ſpiritus ſancti dona apprehendit.

Hunc regenerationis modum cum ignoraret Nicodemus, eum elegantiſſima ſimilitudine inſtituit Dominus Iohan: iii. Vbi ſic ait. Ventus quo

vult ſpirat, & ſonum eius audis ſed
neſcis vnde veniat, aut quo vadat. Ita
eſt omnis qui genitus eſt é ſpiritu. Ho-
rum verborum ſenſus eſt, quemadmo-
dum ignoratur vnde veniat aut quõ
vadat ventus, ſed tamen eius ſonus ſen
titur dum ſpirat: Ita modus regenera-
tionis noſtræ, per ſpiritum ſanctũ eſt
nobis reconditus, ſed mox vbi regeni-
ti ſumus, vis & effectus ſpiritus ſancti
in nobis regenitis ſe profert. Nam hu-
ius ſpiritus motus & flatus in cordibus
regenitorum eſt fides qua ſola iuſtifi-
camur, timor Dei, ardens amor, & de-
ſiderium approbandi Deo omnem
noſtram vitam, & aliæ virtutes, cum
his coniunctæ, quas Paulus ad Gal: 5.
enumerat & Petrus ex virtute rege-
nerationis extruit in prioris ſecundo.
Cum his congruit deſtinctio Chryſo-
ſtomi qui ait duplicem eſſe regenera-
tionem. Alteram quam ex condona-
tione peccatorum dum in Chriſtum
credimus & eius donamur iuſticia,
Alte-

Alteram quam post iustificationem obtinemus sancté & innocenter viuendo, prior dono Dei contingit, in altera requiritur nostra quoq; diligentia, prioris principia sunt verbum dei & spiritus sanctus qui fidem operatur Posterior causas habet easdem vna cũ nostra diligentia & exercitijs pijs.

Hinc Beatus Lutherus in commentarijs super Epistolam ad Galat: pijssimé scribit, in hunc modum. Noua creatura est renouatio mentis per spiritum sanctum, quam sequitur postea etiam mutatio membrorum & sensuum corporis. Nam vbi cor nouam lucem, nouum iudicium & nouos motus per euangelium concipit, fit vt externi quoq; sensus innouentur. Aures enim verbum Dei, non amplius traditiones & somnia humana gestiunt audire, Os & lingua non sua opera, iusticias & regulam iactant, sed solã misericordiã Dei in christo exhibitã cũ gaudio prædicãt

 Hæ

Hæ ſunt mutationes, vt ſic dicam, non verbales, ſed reales, quæ afferunt nouam mentem, voluntatem nouam, nouos ſenſus & actiones etiam carnis, vt oculi, aures, os & lingua aliter quam antea videant, audiant, loquantur: ſed vt ipſa mens etiam aliud probet & ſequatur. Hactenus Lutherus.

Ex his manifeſtum eſt, vnde proficiſcatur, quomodo fiat & ſentiatur tandem ſpiritualis illa natiuitas, qua in filios Dei renaſcimur: nunc quod ſecundo loco propoſui aggrediar, & definitionem huius natiuitatis ſpiritualis perſpicuam tradam.

Eſt itaq; ſpiritualis natiuitas, qua naſcuntur filij dei, quotquot credunt in nomen Ieſu Chriſti.

Hæc definitio ſumpta eſt ex primo capite Iohannis, & conſtat cauſis efficiente, materiali & inſtrumentali. Efficiens Deus pater eſt, qui ſecundum magnam ſuam miſericordiam regenuit nos, 1. Pet: 1. Materia Chriſtus eſt,

cuius mortis & reſurrectionis vi renaſcimur, vt ſupra explicatum eſt. Inſtrumentalis cauſa eſt, fides donum ſpiritus ſancti, quo virtus & efficatia mortis & reſurrectionis Chriſti, adeoq́; totus Chriſtus, cum omnibus ſuis donis recipitur.

Verba autem Iohannis, vnde definitio poſita eſt deſumpta, ſunt hæc. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem ſeu dignitatem, (Græca enim vox Exuſia dignitatem ac maieſtatem quandam etiam notat) vt filij Dei fierent, ijs qui credunt in nomen eius, qui non ex ſanguinibus, neq́; ex voluntate carnis, neq́; ex volũtate viri, ſed ex Deo nati ſunt.

In his verbis Euangeliſtæ manifeſté exprimuntur cauſæ, ex quibus definitio poſita eſt extructa. Sed qui fit, quod credentes homines dicantur naſci á Deo, atq́; ideo filij Dei ſint & appellentur?

Naſci á Deo eſt, per fidem coniungi cum

gi cum Christo vero filio Dei in quo etiam credentes gratis habentur pro filijs eiusdem regni hæredibus. Quare ea de causa dicuntur credentes filij dei quia membra facti sunt naturalis & vnigeniti filij, qui est Christus Iesus in quo charos nos habet, & adoptat pater cœlestis. Vt igitur renasci est, per verbum Dei auditum & creditum, vi mortis & resurrectionis Christi, filium & hæredem Dei fieri. Ita nouus homo is dicitur, qui verbo & fide, per spiritum Dei, vi mortis & resurrectionis Christi est renatus, vnde & illud efficitur, veterem hominem esse eum, qui fide caret, quantumuis eximijs, coram mundo donis clarus sit.

Porro duo loci Pauli, quorum alter est ad Col: 3. Alter ad Eph: 4. Definitionem regenerationis exhibent formalem. Ad Col: quidem ait, Cum exueritis veterem hominem cum factis suis, & indueritis nouum illum, qui renouatur ad agnitionem, secun-

dum

dum imaginem eius qui condidit ipsum. Ad Eph: vero in hunc modum. Vos non ita didicistis Christum siquidem ipsum audistis, & in ipso estis docti, quemadmodum est veritas in Iesu, vt deponatis secundum pristinam conuersationem, veterem hominem qui corrumpitur secundum concupiscentias mortis, renouemini autem spiritu mentis vestræ, & induatis nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iusticia & sanctitate vera.

Ex his duobus locis colligitur definitio hæc, quod regeneratio sit reparatio imaginis Dei in homine, hoc est, conformitas & similitudo hominis cum Deo, ad quam primus homo formatus erat, hanc Dei imaginem Paulus collocat in iusticia & sanctitate vera.

Sed præter hanc definitionem tria ex Pauli verbis colligere promptũ est Primum, quod hæc imago requirit

depoſitionem veteris hominis. Secun-
dum, quod huius imaginis veluti ma-
teria ſit agnitio Chriſti, atq́ ea non ina-
nis, ſed efficax, de qua etiam Iohānnes
in primæ ſecundo ita ait. Per hoc ſci-
mus quod cognouimus eum ſi manda-
ta ipſius obſeruamus, qui dicit, noui e-
um, et mandata eius non ſeruat, men-
dax eſt, & in eo veritas non eſt, hæc er-
go agnitio fidem complectitur vſitata
ſynechdoche. Nam vbi non eſt fides i-
bi vera cognitio nullo pacto eſſe poteſt
Et vbi non eſt obedientia erga deum,
ex fide preſtita, nequaquam illic fides
eſse poteſt, ſed fictū duntaxat illius I-
dolum & mortuum ſimulacrum. Ve-
rum diligenter obſeruandum eſt, quod
Iohānes non dicat, per hoc ſumus in eo
uel eum agnoſcim⁹, quia mandata eius
obſeruamus. ſed per hoc ſcimus (ait),
nos illum agnouiſse, ſi mādata eius ob-
ſeruamus. Aſcenditur autem hic ab
effectu ad cauſam, non contra. Nam
bona opera nequaquam nos inſerunt
Deo

Deo, ſed inſitos gratiſq; iuſtificatos neceſſario conſequuntur. Tertio ex verbis Pauli colligitur quæ pars hominis ſit primum ſpiritualis regenerationis ſubiectum, nimirum mens ipſa & ratio quam omnium primum oportet corrigi & cognitione lucis Chriſti per ſpiritũ ſanctum, illuſtrari. Hac reformata manu Dei, ſequitur mutatio in affectibus & voluntate, quibus etiam externa membra obtemperant. de qua re poſtea copioſius dicendũ eſt. Hactenus de interna regeneratione dictũ eſt quæ occulte fit, & peragitur ſine externo ſymbolo, qua Adã poſt lapſum reſtitutus eſt, Abel, Seth, Enoch, Noe et aliȷ ſãcti patres olim regeniti ſunt, & hodie quotquot naſcuntur filiȷ Dei neceſſario regenerantur. Nam Deus eodem modo cũ in ſanctis patribus, tũ in nobis ſalutem operatur. Nunc adiȷcienda ſunt Tria dicta quæ videntur regenerationem baptiſmo alligare.

Dominus Iohan: III. ait. Niſi quis

ex

ex aqua & spiritu renatus fuerit non potest introire in regnum cælorum. Ad Eph: 5. Christus dilexit Ecclesiã & seipsum tradidit pro ea, purgans eam lauacro aquæ in verbo. Ad Titum 3. Quando autem bonitas & Philanthropia apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ sunt in iusticia, quæ fecimus nos, sed iuxta ipsius misericordiam saluauit nos, per lauacrum regenerationis, et renouationem spiritus sancti, quam effudit in nos opulenté, per Iesum Christum seruatorem nostrum, vt iustificati ipsius gratia hæredes fieremus iuxta spem vitæ æternæ.

Ex hisce locis aliud effici non potest, quam quod vis regenerandi sit solius spiritus Dei per Iesum Christũ et quod hæc regeneratio representetur et efficiatur per baptismum, tanquam ordinarium instrumentum huius sanctæ natiuitatis, Non quod sine baptismo, spiritualis regeneratio

virtu-

virtute ſpiritus ſola fieri nequeat. Quare locutiones iſtæ, ex aqua & ſpiritu renaſci, Deum purgare Eccleſiam lauacro aquæ, eundem ſaluare per lauacrum regenerationis, nihil aliud volunt, quam homines in baptiſmo recipere ſpiritum ſanctum, qui regeneret, quæ regeneratio manat ex virtute mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti, cuius virtutis applicatæ efficax ſymbolum & pignus eſt baptiſmus, de quo idem licet nobis dicere, quod Paulus de circumciſione cui baptiſmus noſter ſucceſſit, dixit. Baptiſmus quidem prodeſt, ſi legem baptiſmi ſeruaueris, at ſi tranſgreſſor legis huius (quæ eſt in Chriſtum recumbere, mori peccato, & viuere iuſticiæ) fueris, baptiſmus tuus in ſordes commutatur. Baptiſmus enim cordis in ſpiritu non litera, cuius laus non ex hominibus ſed ex Deo. Hoc ita eſſe verbis Petri confirmatur, qui in prioris tertio ita ait. Cuius figuræ

 reſpon-

respondens baptismus, nos quoq; saluos reddit, non abiectio sordium carnis, sed bonæ conscientiæ stipulatio apud Deum, per resurrectionem Iesu Christi. Hic Petrus cũ dicit, non abiectio sordium carnis, satis ostendit, nonnullis baptismum tantum literalem esse, at ijs esse spiritualem, quorum conscientia responsum habet apud Deum, per resurrectionem Iesu Christi. Hæc non á nobis dicuntur ad extenuandam virtutem baptismi, quem scimus organum Dei esse, & salutare sacramentum, in quo Christus veré adest, cuius corpus qui baptisatur induit, cuiusq; sanguine conscientia eius abluitur, á mortuis peccatis: Verum discerno inter virtutem spiritualem & externum symbolum, quo illa virtus spiritualis confertur & obsignatur. Etsi Cornelius credens, fide induerat Christum, & accepto spiritu sancto, ante collatum baptismum, veré erat regenitus, & filius Dei, per fidem
effectus

effectus: nihilominus tamen idem beneficium illi collatum & consignatum est per baptismum, in maius fidei incrementum. Apostoli sufflante in eos Christo, acceperunt spiritum sanctũ, eundem tamen postea sacramentaliter acceperunt, vt visibili signo confirmaretur inuisibile donum. Qui credit in Christum alitur & sustentatur in spem vitæ æternæ corpore & sanguine Christi, veré tamen in sacra cœna eisdem sacramentaliter fruitur, vt sint pabulum & potus animæ.

Sunt ergo duo in sacramentis consideranda, signum & res, vt supra quoq; dictum est. Signum sumi potest sine re, & res exhiberi interdum sine signo, vt in baptismo signum, ablutio corporis per aquam, res veró est, ablutio animæ per sanguinem Christi, mortificatio veteris naturæ, & excitatio noui hominis. Quod autẽ signũ interdum est inefficax, omni efficatia

destitutum sit hominum culpa, quæ non naturam tollit sacramenti.

Hæc eo pertinent, vt non temerè confundamus virtutem, quæ solius Dei est, cum externis sacramentis, quibus Deus vt organis vti consueuit, non quod sine illis nunquam agat, sed quod ea sint ordinaria ipsius diuinæ actionis organa.

Ex his quæ hactenus dicta sunt facile est colligere, quænam sint salutaris huius regenerationis notæ, quarum Prima est vera Christi cognitio, quæ non solum noticiam Christi, sed etiam firmam in ipsum fiduciam complectitur. Hæc est, inquit dominus, vita æterna, vt te cognoscant verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et Paulus. In Christo Iesu neq; cicumcisio aliquid valet, neque præputiũ, sed noua creatura: Hi duo loci collati sensum & vitam adeóque verissimam notam noui hominis docent esse fidem in Iesum Christum, per charitatem

ritatem efficacem. Secunda nota regenerationis eſt duci ſpiritu Chriſti, quēadmodum Paulus ait. Qui ducuntur ſpiritu Chriſti, hi ſunt eius.

Tertia nota, quæ vnumquemq; certificat eſt arrabo hæreditatis, qui eſt ſpiritus ſanctus. Paulus enim ad Corinthios poſterioris primo ita ait. Et dedit arrabonem ſpiritus in cordibus veſtris. Et ad Galatas quarto. Quia eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba pater.

Quarta nota eſt aſſidua ſpiritus aduerſus carnem pugna, & eiuſdem ſpiritus victoria.

Quinta eſt pacientia ſub cruce ſpei, quæ fidei coniuncta eſt, verus & germanus fructus. Hæ notæ nouæ creaturæ certiſſimi ſunt indices, & veluti noui fructus infallibiliter nouam monſtrantes arborem.

Cæterum ſi placet iſta breuius complecti, hæc noua creatura ex eo

cognoſcitur, ſi fides ſentiatur, ſi vis domandæ carnis creſcat, ſi timor Dei & aliæ virtutes quotidie ex noua hac arbore ſuccreſcant, vel breuius adhuc, ſi gaudiũ ſpiritus, de ſalute per Chriſtum parta, efficaciter ſentitur, & inde prompti ſumus & alacres, ad præſtandam Deo perpetuó obedientiam. Periculoſe errant, qui cum noticiam Chriſti & fidem iactant, nullos tamen ædunt ſynceræ fidei fructus, ſed ducuntur veluti beſtiæ quocunq́ꝫ vitioſæ carnis libido rapit.

Atq́ꝫ hæc de ſecundo membro partitionis noſtræ ſint dicta, nempe de definitione, & veris nouæ creaturæ notis. Nunc vt in partibus magis conſpiciatur hæc ſalutaris natiuitas, partes eius ſunt nobis exponendæ & declarandæ.

Sunt autem regenerationis partes duæ, Mortificatio & viuificatio. Mortificatio eſt communio & ſocietas mortis Chriſti, qua vitioſitas naturæ caſti-

gatur, crucifigitur & occiditur. Et est duplex, Interior & exterior. Interiorem Paulus interdum vocat crucifixionem veteris hominis, vt cũ ait Romanorum 6. Vetus noster homo simul crucifixus est etc. Hæc mortificatio habet fidem vitæ adiunctam. Iuxta illud Si mortui sumus in Christo, credimus quod & viuemus cum eo. Vt autem hæc mortificatio ex virtute mortis Christi proficiscitur: Ita in abnegatione ea est sita, quæ in vera contritione sentitur, cum videlicet carni & concupiscentijs eius ita renunciamus, vt statuamus ex viuo fidei sensu, non amplius iuxta carnis, sed iuxta spiritus imperium viuere: hanc abnegationem dominus commendat suis sectatoribus Lucæ 9. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Ad hanc & Paulus hortatur suos Collossenses inquiens: Mortificate membra vestra terrestria. &c.

An non Christus mortuus est pro peccato? Si ille pro peccato mortuus est, sicuti reuera est, cur nos iubemur idem mortificare? In peccato duo sunt, Morbus & reatus. Morbi vim ac veluti incendium iubemur extinguere, quod tum tandem poterimus facere, vbi Christum veré induerimus infracta fiducia in ipsum recumbentes: At reatum ipsum solus Christus tollit, in cuius locum succedit Christi iusticia credenti imputata. Iuxta illud. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iusticia Dei in ipso.

Exterior mortificatio duo complectitur nempé patientiam sub cruce & temperantiam. Illa spei effectus est, hæc interioris mortificationis comes.

Porro huius mortificationis, quæ initium est regenerationis, hos habet gradus. Primus est, quod mentis errores de Deo, de prouidentia, de pro-

missio-

missionibus & minis, adeoq; de ipsius Dei natura, voluntate & cultu, corrigat & prorsus iudicium carnis, & totum eiusdem Phronema in rebus salutis extinguat. Est enim vt Paulus ait, sensus carnis inimicitia apud deum.

Secundus quod motus aberrantes, & affectus inordinatos reprimat, ac veluti freno inhibeat, quos motus Paulus eleganti similitudine membra veteris hominis appellat: Nam vetus homo hoc est, ratio & voluntas depra uata: Perinde his motibus vtitur, ac corpus suis membris vti consueuit in actionibus suis.

Tertius, quod voluntatem auersam refrenet, vt non amplius rebellis & contumax sit aduersus Deum.

Quartus & vltimus, quod membris externis corporis imperet, vt non postea, sicut antea fecerunt, peccatrici naturæ auscultent.

Atq; hactenus de mortificatione prima regenerationis parte, sequitur altera, quam Paulus viuificationem appellat, quæ quid sit, & quos habeat gradus dicendum est.

Est itaq; viuificatio, nouæ vitæ manantis ex virtute resuscitati Christi per spiritum regenerationis excitatio.

Noua autem vita dicitur quia est super naturalis, nouæq; creaturæ. Sic appellata, Primum vt distinguatur ab vniuersali vita, quæ motu duntaxat & sensu constat, cuius etiam participes sunt bestiæ. Deinde etiam, vt distinguatur á vita humana, qua sumus filij Adæ: Dicitur hæc noua vita etiam gratiæ vita, quia gratis electis communicatur. Dicitur quoq; vita Dei per excellentiam, quoniam tunc proprié viuit Deus in nobis, & nos fruimur eius vita, cum spiritu suo nos gubernat. Dicitur & vita Christi Galata: 2. Viuo autem non amplius ego, sed viuit in me Christus. Quod autem

nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit se ipsum pro me. Hic Paulus discernit vitam qua corpus viuit animale, ab ea vita qua Christus in nobis viuit.

Viuit autem Christus in nobis dupliciter, vna vita est quomodo participatione suæ iusticiæ nos donat, vt quando in nobis non possumus, in ipso accepti simus Deo. Altera vita est, qua viuit in nobis Christus, cum nos spiritu suo gubernat, sanctificat, atque actiones nostras omnes dirigit. Prior vita ad gratuitam iusticiæ acceptationem, Posterior ad regenerationem, de qua hic potissimum agitur, pertinet. Neutra constare potest sine altera, tametsi diuersæ sunt. Vtraque præterea vita gratiæ dicitur, & est via ad vitam gloriæ, de qua Paulus colossensium 3. Et vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo, ubi autē Christus

appa-

apparuerit vita veſtra, tunc etiam vos cum ipſo apparebitis in gloria. Eſt autem imprimis obſeruandum, quod hanc vitam cum Chriſto in Deo abſconditam eſſe dicat, quibus verbis ſignificat noſtram vitam extra periculum eſſe, etſi non appareat: Nam & Deus fidelis eſt, ideoq́ꝫ non abnegabit depoſitum, nec fallet in ſuſcepta cuſtodia, & Chriſti ſocietas maiorem etiamnum ſecuritatem adfert.

Quid enim magis expetendum, quam vitam noſtram manere cum ipſo vitæ fonte. Quare non eſt, quod terreamur, ſi vndiq́ꝫ circumſpicientes vitam nuſquam cernamus, ſpe enim ſalui ſumus.

Ex his quidnam, & qualis ſit viuificatio, quæ regenerationis altera pars eſt, liquet: Nunc huius viuificationis gradus conſiderandi ſunt. Nam vt vita, qua viuificatur animans habet ſuos, iuxta actiones animæ, gradus.

Ita vita, qua fideles viuunt, actuosa est, ac suarum actionum (quas pietas veluti anima regit) quosdam gradus habet. vt igitur mortificationis gradus suprá constituimus quatuor, nempe mentis, affectuum, voluntatis & externorum membrorum corporis: Ita hic quoq; (quia mortificationis & viuificationis eadem est relatio & proportio) eosdem constituamus gradus, vt hæc viuificatio cernatur in mente, in affectibus, in voluntate & externis actionibus. Mentis viuificatio est, de qua Paulus Ephesioȓu 4. Renouamini spiritu mentis vestræ. Hæc renouatio mentis in eo sita est, vt deposita vanitate, mens vera intelligentia rerum diuinarum, de Deo, de cultu Dei, de salute per Christum parta etc: ita sit illustrata, & spiritu Dei certificata, vt non amplius mens nostra fluctuetur, & circũferatur quouis vento doctrinæ: Sed

iuxta

iuxta psalmum, nocte dieq; versetur in lege dei, meditetur diuina, nihilq; iucundius & antiquius habeat, quam toto vitæ suæ cursu in noticia doctrinæ cælestis proficere.

Deinde affectus purgandi sunt, nequid affectemus aut appetamus, quod lege dei nobis vetitū est. Sanctus Maximus primo libro de charitate, pulcherrima similitudine affectuum impetus & incursiones describit his verbis: Quemadmodū passerculus pede alligatus, volare incipiens, in terram funiculo detrahitur: Sic mens hominis ad rerum cælestium cognitionem volare contendens, ab affectibus deducitur, & in terram detrahitur. Quoniam igitur omnia, quæ iniusté atq; improbé fiunt, ab affectibus præsertim ira, cupiditate & libidine oriuntur, summo studio & conatu affectibus reluctandum est, vt ita effrænis cohibeatur, vt cupiditas iniusta compescatur

tur, vtq; libido fæda refrenetur. Et quia affectuum inordinatorum mater est Philautia ipsa omnium prima iugulanda est, & in eius locum euehendus timor domini, qui fons omnium bonorum existit, veluti contra inordinati motus, qui oriuntur ab ipsa philautia, omnium malorum sunt scaturigines. Hic enim Dei timor facit, vt ames quæ amanda sunt, expetes quæ expetenda sunt, fugias quę fugienda sunt, læteris in rebus sanctis & salutaribus, tristeris, cum aliquid contra Deum aut dilectionem proximi perpetratum sit, irascaris vicijs, speres cum patientia hęreditatem salutis promissam. Breuiter efficit hic timor Dei, vt sancté, iusté & modesté vitam totam transigas.

Deinde reprimit etiam inordinatos affectus vera pœnitentia, abnegatio sui, ardens inuocatio sedula uerbi

diuini

diuini meditatio, in officio diligentia sancta, sobria vita, rerum cientium affectus fuga etc. Præterea quoniam non cessant vnquam affectus praui solicitare nos ad peccandum, etiam postquam regeniti sumus, debemus nos contra ipsos armare spiritualibus armis, vt primis motibus fortiter occurramus: Nam si affectui, ad breuissimum tempus, locum feceris, mox voluntatem secum trahit, vt ad assecutionem perueniatur.

Adhæc in voluntate quoq; cernitur regenerationis vis, cum non amplius auersa est á Deo, sed quæ recté mens iudicat, & cor pié affectat, ea prompta complectitur voluntas, quã voluntatem purgatam Eutaxia membrorum corporis, vt illa quoq; purificata appareant.

De partibus regenerationis satis dictum est, & earum gradibus: Nunc causarum ad spiritualem hanc regenerationem concurrentium distinctio decla-

declaranda est: Nam harum causarũ confusio, maximorum errorum in tota Ecclesiæ doctrina fons est.

Cum ergo in scriptura sancta dicimur nunc á Deo nasci, nunc é spiritu renasci, Interdum per verbum, non nunquam per fidem, aliquoties per lauacrum aquæ, seu per baptismum, Et interdum etiam per ministros Euangelij, diligenter harum locutionum rationes explicandæ sunt. Nam nequaquam eodem respectu, sine contradictionis implicatione, hæ locutiones intelligi possunt. Quare ex causarũ diuersitate explicatio petenda est.

Primum itaq; recte dicitur, regenerat pater, regenerat filius, regenerat spiritus sanctus. Sicut enim Deus pater creauit mundum, & Deus spiritus sanctus creauit mundum: Ita idem vnus & æternus Deus, pater, filius & spiritus sanctus hominem peccato mortuum regenerat, sed seruata cuiusq; personæ proprietate, hoc est,

vt Deus pater creauit mundum, per filium in ſpiritu ſancto: Ita recté dicitur, Deus pater per filium, in ſpiritu ſancto regenerat hominem. Pater enim autor & fons eſt, Filius medium & meritum, Spiritus ſanctus vim ſuam exerit in homine, ac eum nouam creaturam efficit & conſeruat. Verum quia Deus ad id vtitur ſenſibilibꝰ inſtrumentis, ut fit regeneratio nunc verbo, nũc fide, nũc baptiſmo, nunc ipſis miniſtris tribuatur.

Verbum a Petro ſemen incorruptibile huius natiuitatis nouæ prædicatur, ſicuti ſupra expoſitum eſt. Huius ſeminis vis ipſe ſpiritus Dei eſt, qui in verbo prædicato eſt efficax.

Verum quia verbum prædicatũ inefficax manet, niſi fidei fructum producat, qua fide Chriſtus apprehenditur & poſſidetur, dicuntur credentes filij Dei eſſe, vt qui á Deo geniti ſunt, Iohanes filios Dei prædicat, fieri, qui Chriſtum recipiunt, hoc eſt, qui firma fi-

ma fiducia in eum recumbunt, verum eosdem mox non ex carne, & sanguinibus, sed ex Deo genitos esse dicit. Dignatur ergo adoptionis honore Deus eos, qui in filium credunt, sed quos suo spiritu iam genuerat, hoc est, quos sibi in filios formauit, suos tandem esse declarat. Nam si filios Dei nos reddit fides, vnde ipsa nobis detur considerandum est. Siquidem spiritualis seminis fructus existit, quo semine Deus nos in vitæ nouitatem regignit. Proinde quod efficit spiritus, hoc verbum offert, atq; idem fides receptum declarat, id quod baptismus & figurat & obsignat. Dicimur enim renasci per baptismum, quando per spiritum renascimur, qui spiritus nobis aspectabili sacramento testatur, & obsignat renascentiam, & ablutionem animæ, per sanguinem Christi.

Sunt autem duo in baptismo consideranda, signum & res. Signum est

aqua & externa actio, Res est ablutio animæ per sanguinem Christi, carnis mortificatio, & spiritus viuificatio sicuti supra dictum est. Diligenter igitur vt inter signum & rem distinguendum est, ne hæreamus in externo elemento: Ita rursus rem signatam á signo nequaquã diuellere licet. Quod autem sæpe signum inefficax esse apparet, id fit hominum culpa, Nam vt verbum prædicatum, Ita sacramẽta, quæ sunt veluti aspectabiles conciones, fidem requirunt, sine qua inefficacia manent.

Hic tamen hominum abusus & malicia nequaquã sacramenti naturã tollit. Ne igitur separemus quæ á domino coniuncta sunt, agnoscamus in baptismo spirituale lauacrũ, amplectamur illud vt testimonium remissionis peccatorũ & renouationis nostræ pignus. Ita tamen, vt relinquamus & Christo & spiritui sancto suum honorem, vt nulla pars salutis ad signum transfe-

transferatur. Iam de ministris dicendum est, qui etiam spiritualiter homines gignere dicuntur, Paulus enim. 1 Cor: 4, aperté ait, In Christo Iesu, per Euangelium, vos ego genui, & ad Gal: 4. Filioli quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Idem Timoth: scribens, germanum eum filium appellat. Proprium quidẽ dei est, quemadmodum aliquoties iam dictum est, spiritualiter gignere & parere, Sed quia instrumentis ad id vtitur, ministro, & prædicatione, quod suum est, illis adscribit. Propterea quod cum hominis opera spiritus sui virtutem coniungit. Ne igitur hic confundentur causæ, tenenda est hæc destinctio.

Sine Deo minister, nihil potest, Imo organon est inutile, verum cum efficaciter, per ipsum, spiritus sanctus operatur, transfertur etiam ad ipsum laus & titulus agendi. Sed tunc non agitur quid per se, aut se-

orſum á Deo, valeat miniſter, ſed quid per illum agat Deus virtute immortalis ſeminis. Quia igitur virtute verbi diuini (quod Petrus immortale eius nouæ natiuitatis ſemen appellat) liberos Deo gignit, & eoſdem eiuſdem verbi lacte & cibo paſcit, educat, fouet, dicitur miniſter verbi pater eorum, qui ipſum audiunt, & ſpiritualiter gignuntur, Sed excellentia potentiæ dei eſt, & non miniſtri, apud quem ſemen hoc veluti theſaurus in vaſe depoſitus eſt.

Cum igitur theſaurus non á vaſe commendatur, aut ab eo precium mutuatur; ſed á theſauro vas, ipſe miniſter hunc titulum & laudem ab ipſo verbo, cuius preco eſt, habet, & non verbum ab ipſo, hæc ſint de cauſis concurrentibus ad ſpiritualem regenerationem dicta. Nunc quod Quinto loco propoſitum fuit excuciendum eſt.

Etſi

Etsi autem vnusquisque in seipsum descendens sentiat magnam infirmitatem, ad præstandum Deo verum obsequium, ac sæpe se carnis importunitate infestari experiatur, adeo vt quæ non velit, ea agat. Sicuti diuus Paulus iam iustificatus, & regeneratus de seipso conqueritur: Nequaquam tandem desperandum est, sed fiducia mediatoris animus fouendus & erigendus. Nam hoc opus Dei, quod est regeneratio, non eo, quo in nobis inchoatur die, simul etiam perficitur: sed paulatim augescit, & quotidianis incrementis ad finem perducitur. Nemo enim vnquam repertus est, qui suam carnem penitus crucifixit, & se ita totum spiritus imperio subiecit, vt iam nulla sit peccati reliqua vis, quæ ipsum molestet. Nemo vnquam inuentus est, qui ita spiritu viuificatus fuit, & se ita totum,

 á car-

á carnis concupiſcentijs vendicauit, vt iam plenum ſpiritui imperium, ſine moleſtia, & quotidiana pugna, ſit relictum. Hoc teſtantur multi errores in omnibus ſanctis. Hoc teſtatur omnium ſanctorum precatio ipſis a Christo domino commendata, qua quotidianos lapſus deprecantur. Hoc gemitus creber in electiſſimis Dei organis conuincit. Dauid grauiſſimas ſuas tentationes habuit, & quotidiana ignorantiæ delicta deplorat : Ab occultis meis munda me domine. Paulus clamat, Infœlix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius.

Pugna Itaq; aſſidua manebit carnis & ſpiritus, donec manendum nobis eſt in hac mortalitatis conditione. Sed quid hic faciendum eſt?

Primum. Si chriſtianus es, oportet in te ſignum apparere communionis cũ morte & reſurrectione Chriſti, cuius fructus eſt, vt crucifixa ſit caro tua, cum omnibus ſuis concupiſcen-

piſcentijs, vt viuificatus ſpiritu, iam nouam vitam mediteris. Nec hæc communio ideo nulla eſt, ſi reliquias carnis viuere adhuc in te ſentias, ſi ſpiritus plenum imperium non dum obtineat, adeo vt ſine contumacia carnis, liberé feratur in Dei obſequium, ſed meditandum eſt aſſidué eius augmentum, donec ad metam peruentum ſit.

Deindé cum Paulo deploranda eſt hæc captiuitas, & pijs votis optandum, vt ab ea fœliciter tandem, iuxta voluntatem Dei liberari poſſis.

Tertio, Indies conandum eſt, vt maiora incrementa facias, & adoleſcas in Chriſto, vt cibo verbi Dei, & ſacratiſſima cæna, corpore & ſanguine Chriſti animam recrees & foueas. Nam vt inde alitur, ita etiam incrementa quotidiana capit.

Quarto, Non indulgendum eſt carni vnquam, ſed ſtatim ſuborientes affectus praui iugulandi ſunt medita-

tione verbi Dei & oratione. Quemadmodum Dauid iam post adulterium commissum in gratiám receptus & regenitus fecit. Iuxta illud, cor mũdum crea in me Deus, & spiritum firmum innoua intra me, Ne proijcias me á facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi læticiam salutis tuæ, & spiritu spontaneo sustenta me, Hic Dauid regenitus iam petit incrementa, quæ fieri non possunt, nisi intus nos mundificet spiritus Dei. Quemadmodum enim spiritu regeneramur: Ita eodem regeniti incrementa capimus, quod quomodo fiat tria spiritus Dei ępitheta, quæ hic à Dauide ponuntur declarant. Vocat enim eundem spiritum Dei primo loco firmum, Deinde sanctum, tum voluntarium seu spontaneum, Idq; propter diuersos ipsius affectus in regeneratis.

Dicitur enim ideo hic spiritus

firmus

firmus, quia nos firmos reddit, ne
circumferamur quouis vento doc-
trinæ, aſtu vel hominum vel diabo-
lorum decepti: Sed vt conſtantes ma-
neamus in verbo nobis tradito, nec
vnquam de beneuolentia patris cæ-
leſtis qui nos in Chriſto charos habet,
dubitemus. Deinde ſpiritus Dei ſanc-
tus dicitur a Dauide, quia nos vt rege-
nuit in nouos homines: Ita regeni-
tos magis magiſq; ſanctificat, quo
perpetuam ſanctimoniam vitæ, mo-
rumq; innocentiã meditemur. Hunc
ſanctũ ſpiritum petit Dauid a ſe non
auferri, hoc enim ablato, mox ruit
homo in quæuis ſcelera, prauis in-
habitantis peccati concupiſcentijs im-
pulſus.

Tertio dicitur ſpiritus vltroneus,
ſeu voluntarius, ſiué ſpotaneus, quia
nos promptos et faciles reddit ad faci-
endũ quod precipit Deꝰ hæc enim ſpõ
tanea obedientia, qua pluris facimus
obedientiã erga Deũ, quã omnia quæ.

in mundo ſunt, certiſſimum ac pleniſ-
ſimum regenerationis teſtimonium eſt
cui coniunctum eſt gaudium ſalutis,
quæ á Deo eſt. Nam ſpiritus ſanctus
teſtimonium reddit ſpiritui noſtro
quod ſimus filij Dei & hæredes in Ie-
ſu Chriſto. Hinc exhortationes illæ
Paulinæ: ſpiritu feruentes, Item ſpi-
ritum nolite extinguere, & ad Timo-
theum: excita gratiam quæ in te eſt:
Hæc dicta teſtantur quod poſtquam
regeniti ſumus, vires a ſpiritu Dei per
gratiam inſtauratas habeamus, vt
iam exertijs pietatis, precibus & in-
duſtria ſpiritum quo feraeamus in
nobis ipſis excitare vel exitanti nos
accommodare poſſimus. Nam vt ig-
ni iam ſuccenſo poſſumus ligna & fo-
menta ſupponere quibus magis arde-
at: Ita ſpiritus ſanctus iam datus ex-
ercitio doctrinæ exhortationis, ſump-
tionis cænæ dominicæ, aſſiduarum
precum, meditationis in verbo Dei ex-
citari poteſt vt magis feruea mus qui
autem

autem hoc exercitium negligunt, ſpi=ritum ſinunt extingui.

Ex his quoq; vſus regenerationis facile intelligi poteſt, qui maxime in tentationibus cernitur. Solicitaris á carne, vt hoc vel illud, contra interdictum Dei facias. Hic cum Paulo reſponde: Si mortui ſumus peccato quomodo viuemus in eo? Tentant te legis comminationes, quibus opponito Pauli dictum. Non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Item nulla damnatio eſt ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu. Sæpé ſuborientium affectuum moleſtiam ſentis, qui ſpiritus imperium excutere conantur. At Pauli conſilio hic obtempera, qui ait. Ne igitur regnet peccatum in mortali veſtro corpore, vt illi obediatis in concupiſcentijs ſuis. Tametſi enim peccatum in nobis reſidet, & ſua promit edicta, per prauas concupiſcentias, tamen nequaquam nobis nocebit, donec virtus ſanctificationis emineat. Hæc enim nos veré eſſe mem

bra

bra Christi testatur. Vexaris sub cru-
ce, confugito ad pauli consolationem.
Si cum illo patimur, cum illo quoq́;
regnabimus. Si mortis tentatio te so-
licitat, huic medebitur pauli dictum,
qui ait, nostra vita abscondita est cum
Christo in Deo. Si metus extremi iu-
dicij te turbat, consoletur te iudicis
dictum. Qui credit in me non iudica-
bitur. Quomodo enim clientem suum
patronus condemnaret? Breuiter v-
sus huius sanctæ regenerationis in eo
consistit, vt iam securus de tua salute
ea mediteris quotidie, cum pio voto,
totam tuam vitam Deo approbandi,
donec tandem resuscitatis corporibus,
æterno fruamur Dei conspectu.

Porro finis regenerationis duplex
est, propinquus, vt non amplius ser-
uiamus peccato, sed iusticiæ ita vt nos-
tra vita, studia, actiones, eo destinentur
vt toti in Christum transeamus qua-
tenus enim effecti sumus Christo simi-
les, sumus renati, sed quo sumus illi
dissi-

dissimiles non sumus renati sed in nobis veterem hominem retinemus. Vltimus finis est vt recuperata imagine Dei, in omni æternitate Deum prædicemus, fruentes æterna vita, perfecta & æterna læticia, summa quoque delectatione, in æterna regni Dei hæreditate, in qua tandem erit absoluta spiritualis hæc regeneratio, vbi non amplius molestabimur vitiosæ carnis concupiscentijs. Nam corruptibile hoc induet incorruptibilitatem, adeo vt non amplius geramus imaginem primi Adami, qui est de terra terrenus: sed secundi potius, qui est é cœlo cœlestis, vt conformes simus Deo in omni æternitate, Iuxta illud Iohannis in primæ tertio. Charissimi filij Dei sumus & non dum apparuit quid erimus, scimus quoniam cum apparuerit, quod similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, purificat se, sicut ille sanctus est.

Huc

Huc & illud Pauli pertinet. Nos ſpiritu ex fide ſpem iuſticiæ expectamus. Hæc expectata iuſticia non eſt aliud quam conformitas noſtri cum Deo, habitatio Dei in nobis, abſoluta dilectio, breuiter, plena ſanctificatio.

Hæc de regeneratione neceſarió admonenda duxi. Nam cum nemo niſi regenitus poſſit intrare in regnum Dei, profectó operæpretium eſt, regenerationis doctrinam bene cognoſcere, vt ſciatur quæ ſit eius origo, quæ natura, quæ partes, quæ notæ & effecta, quæ ad illam cauſæ concurrunt, quæ eius incrementa, quis vſus, qui fines, quæ denique eius conſummatio. Hæc omnia, quantum licuit hoc tempore explanauimus, ſcripturis & exemplis illuſtrauimus, vt conſtet, quam ſit neceſſaria ſanctificatio in iuſtificatis. Nam quemadmodum credentes iuſtificantur ſola fide, qua poſſidetur obedientia Chriſti, quæ noſtra eſt iuſticia; Ita iuſtificati donantur

tur ſpiritu ſancto, vt Chriſtus ſit illis quoq; iuſtificatio, quod tum fit, quando virtute mortis morimur peccato, & virtute reſurrectionis eiuſdem nouam vitam meditamur, ac nos ſpiritu Chriſti regi totos expetimus, ſentientes vim ſpiritus Chriſti in nobis, cum non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.

Hæc doctrina regenerationis monſtrat fontem, neceſſitatem ac verum finem bonorum operum. Paulus Rom. 6. Petrus primæ primo & ſecundo. Et Dominus ipſe Iohan: 3. hinc tanquam ex fonte hauriunt Chriſtianorum debitum officium eſſe, bonis ſtudere operibus, quo in hoc mundo appareant noui homines, vt qui renati ex ſpiritu Dei, iam renunciarunt veteri homini, cum concupiſcentijs eius.

Neceſſitas ergo bene óperandi eſt conſequentiæ. Nam qui regenitus eſt, qui ſpiritu Dei agitur, qui fide viui-

ficatur, debet iam necessarió vitæ nouæ, quam viuit actiones ædere. Nam vbi apparent nullæ nouæ vitæ actiones, vbi nullus conspicitur fidei fructus, vbi motus spiritus nulli sentiuntur, Ibi plané nulla adhuc noua vita est, sed prorsus vetus homo, & vis peccati illic regnat. Proinde dicere, opera non esse necessaria, perinde est, ac si quis dicat, vitam animantis actuosam non esse, Imo posse existere sine sensu & motu.

Hinc finis bonorum operum colligitur, nimirum, vt non amplius simus serui veteris hominis, sed noui homines effecti, Deo placere noua vita studeamus, vt homines conspicientes lucem nostram, hoc est, honestam & sanctam vitam, Deum nobiscum glorificent.

Verum hic multi errores circa bona opera cauenda sunt, quorum præcipui sunt quinq́;.

Sunt

Sunt enim qui bonis operibus, in causis iustificationis, locum tribuunt.

Sunt qui tametsi in causis iustificationis opera non collocant, ea tamen necessaria ad salutem & vitam æternam prædicant.

Nonnulli supra modum, extenuant benè operandi necessitatem.

Quidam normam bonorum operum, legem Dei siue decalogum in Ecclesiam Christi doceri nolunt.

Nec desunt, qui in locum operum, quæ Deus mandauit, humana somnia substituunt, non sine maxima vnici legislatoris Dei contumelia.

Hi errores breuiter confutandi sunt. Quantum autem ad primum genus errorum attinet, sciendum est, quod eius sint quatuor formæ, Philosophica prima, Pharisaica secunda, Tertia sophistica, Quarta & postrema nuper nata Osiandrica.

Philoſophicus error eſt, quem pa-
rit imaginatio philoſophica de iuſticia
Philoſophia enim non nouit iuſtici-
am aliam, quam quæ eſt qualitas in ho-
mine, ſeu hexis reddēdi vnicuiq; quod
ſuum eſt. Non intelligit hominem im-
putatione alienæ iuſticiæ iuſtificari. At
hic error apertiſſimis oraculis Dei re-
futatur, Dauid apertè clamat. Domi-
ne ne intres in iudicium cum ſeruo tuo
quia non iuſtificabitur in conſpectu
tuo omnis viuens. Et Paulus Rom 1.
propter hoc, ex operibus legis, non iu-
ſtificabitur in conſpectu tuo omnis ca-
ro. Et ad Gala: 3. Quotquot ex ope-
ribus legis ſunt, ſunt ſub maledictione.
Item ad Gal: 2 Si iuſticia eſt ex lege,
Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Hoc Pau-
li dictum validum argumentum con-
tinet, contra eos qui diſtinguunt inter
opera, ceremonialia & moralia, & con
cedunt hominem per ceremonialia o-
pera nequaquam iuſtificari, & contra
ea tantum paulum diſputationem in-
ſtitu-

ſtituiſſe, Cum ad Romanos, tum ad Galatas, contendunt, & interim moralia opera in cauſis iuſtificationis numerant, Imo illis ſolis iuſtificari homines docent. Nam ſi homines iuſtificarentur moralibus operibus, ſequeretur idem abſurdum, nimirum, Chriſtum fruſtrá mortuum eſſe. Ideo Paulus dixit. Si iuſticia eſſet ex lege, vel tota, vel vlla eius parte, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Præterea iuſticia Chriſtiana eſt obedientia ſolius Chriſti, ſicuti Paulus apertiſsimé teſtatur ad Rom: 5. Sed Chriſti obedientia nequaquam eſt noſtra operatio. Igitur iuſticia qua iuſtificantur coram Deo, nullo pacto in noſtris operibus poſita eſt. Eſt igitur eorum dogma maniſeſté falſum, qui hominem operibus iuſtificari, philoſophicé contendunt, iuſtificatione vitæ. Verum ad huius iuſtificationis declarationem, operum requiri iuſticiam, hoc eſt, inchoatam obedientiam requiri, cum Iacobo agnoſcimus.

Secunda forma erroris eorum qui opera inter iustificationis causas ponunt, Pharisaica est, quam describit Paulus ad Rom: 10. et simul confutat. Pharisæi enim fide & operibus simul constare dicunt iusticiam, qua coram Deo iustificatur impius. Hæc forma admodum speciosa & plausibilis videtur. Dicunt fidem iustitiæ initium esse, & opera eiusdem complementum, Quorum errorem confutat paulus his rationibus, Rom: 10. Testificor enim illis, quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim Dei iusticiam, & propriam iusticiam quærentes stabilire, iusticiæ Dei non subiecti fuerunt.

Finis enim legis christus in salutem omni credenti. Hic paulus reiectionis iudæorum causas ponit, nempe quod voluerint & suam iusticiam, quæ est ex lege, & Dei iusticiam quæ est ex fide con-

de coniungere. Deinde Rom: xi. Si gratia non amplius ex operibus, alioqui gratia amplius non est gratia. Si autem ex operibus, non amplius ex gratia. Alioqui opus non amplius est. Hic paulus Primum duas ponit propositiones immediaté contrarias. Si ex operibus est electio & salus, non est ex gratia. Si ex gratiá non ex operibus. Sentit igitur paulus iusticiam, qua Deo accepti sumus, non conflatam esse ex fide et operibus tanquam partibus seu causis, cum debitum & donum ita repugnent, vt neutrum de altero, nec ambo de tertio dici possunt. Aut igitur fide sola seu gratia iustificamur & saluamur, aut operibus. Sed operibus non iustificari quemquam, Paulus in eadem Epistola, capitibus, Tertio, Quarto & Quinto apartissimè ostendit. Deinde si iusticia christiana constaret fide et

operibus ſimul, inepta erat argumen-tatio Pauli, Rom : 4. operanti merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. At credenti in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides eius in iuſticiam. Hic Paulus duas iuſticiæ formas ponit, quæ ſimul ſtare non poſſunt. Nam habent contrarias cauſas, fidei enim iuſticia qua iuſtificatur credens, imputatur & gratis donatur. Sed operum iuſticia nequaquam eſt gratuita. Præterea ſi vna pars, fidei, altera pars operibus, in iuſtificatione hominis tribuenda eſſet, duo ſequerentur abſurda. Vnũ quod promiſsio fieret incerta, quæ certa eſſe debet. Alterũ, quód Chriſti ſatisfactio non ſatisfecerit, niſi ſtabiliretur noſtris operibus. Quare Auguſtini dictum amplectamur, qui dicit, gratia eſt nullo modo, niſi gratuita omni modo.

Sophiſtica forma quam tertio loco, in primo genere poſui, admodum

eſt tor

est tortuosa, nec se eodem modo ha-
bet: sed serpentis instar in multas
species & catastrophas se torquet.
Nam sophistæ vt illudant veritatem
Dei, varias sine verbo Dei, excogitant
distinctiones, quibus veritati tenebras
offundere conantur. Quidam com-
menti sunt opera, quæ vocarunt me-
rita de congruo, digno & condigno,
quidam adminicula iusticiæ in antece-
dentibus, coniunctis & consequenti-
bus operibus statuerunt. Nonnulli
his non contenti, supererogationis fig
menta excogitarunt: Atq; alij alia
monstra pepererunt, Priusquam au-
tem quid sibi velit meritum congrui,
digni & condigni, exponam quasdam
demonstrationes colligam quæ omnia
merita humana in genere, euertant,
vt sophistica ista figmenta sponte cor-
ruere videantur.

Prima. Iusticiam consequimur per
remissionem peccatorum, at hæc do-
num Dei Rom: 3. Igitur non est no-

 stri

ſtri meriti. Nam meritum & donum contrarias cauſas habent.

Secunda. Si iuſticia eſſet ex meritis operum, non excluſa eſſet gloriatio, at hæc excluſa eſt. Rom: 3. Igitur ex meritis non eſt iuſticia. propoſitio probatur, quia tantum gloriationis quilibet haberet quantum meritorum.

Tertia. Quicunque operatur, accipit mercedem non ex gratia, ſed ex debito. At qui fide iuſtificatur, accipit iuſticiam ex gratia, non ex debito: Igitur non ex noſtris meritis pendet iuſticia. Roma: 4.

Quarta. Quemadmodum per inobedientiam vnius hominis peccatores ſunt multi conſtituti: ſic per obedientiam vnius multi conſtituuntur iuſti. Rom: 5. Quis igitur non videt excludi meritum?

Quinta. Quod impoſſibile erat legi, eo quod per carnem infirmabatur hoc præſtitit Deus, miſſo filio in ſimilitudine

tudine carnis peccati, & pro peccato, damnauit peccatum, vt in nobis iustificatio legis impleretur. Rom: 8. Igitur impletio legis non est in nobis sed quod Christo proprium est, nobis imputatur, quare penitus omnia excluduntur merita.

Sexta. Si per legem est iusticia, Christus frustra est mortuus: Esset sane per legem, si ex meritis esset. Quare cum lex excluditur á iusticia, merita quoq; excludi necesse est.

Septima. Paulus ad Philip 3. Ita ait de seipso, verum quæ mihi lucro erant, ea existimaui, propter Christũ iacturam, quinetiam omnia existimo iacturam, propter eminentiam cognitionis Christi Iesu domini mei, propter quem omnium iacturam feci, & existimo reiectamenta esse, vt Christo lucrifaciã, & inueniã in ipso, non habẽs meã iusticiam, quæ ex lege est, sed quæ

est per fidē Christi. Hinc duo coliguntur, non posse stare iustitiam legis, vt partem aut causam, cum iusticia fidei. Deinde longe aliam esse fidei, quam legis iusticiam. Quare cum ex meritis dicitur iusticia christiana esse, mera est insania. Hæ demonstrationes etsi satis omne meritum, quocumq; tandem nominetur nomine, destruunt: Tamen Sophisticam distinctionem supra notatam, definitionibus illorum abhibitis, adiungam & refutabo: Vocant itaq; meritum congrui, in quo peccator dicitur gratiam mereri, dum ad gratiam se disponit. Siue quo impius meretur in gratiam recipi, quando facit quod in se est, & hoc tribuunt illis operibus quæ reuera non merentur salutem ex sua natura, nisi quantum ex bonitate Dei illis promittitur, rigore & acerbitate iuris remissis, & definiunt ea esse morales actiones, quæ a multis fiūt ante iustificationē. hoc ergo meritum non renatis, sed inimicis Dei

tribũnt. Quod etſi ſupra in deſtructi=
one meriti in genere refutatum eſt, in
ſpecie tamen hiſce Quatuor rationi=
bus refellitur. Prima. ante regenerati=
onem ſumus filij iræ, & non percipi=
mus ea, quæ ſunt ſpirit⁹ Dei. ad Ephe:
2. Et 1 ad Corinth: 1. Tales quæſo
quid mereri niſi mortem poſſunt?

Secunda. Non conuerſus viuit ſe=
cundum carnem, quia ſpiritu deſtitu=
itur, iam ſenſus carnis inimicitia eſt,
coram Deo. Quid ergo inimicitia me=
rebitur niſi damnationem?

Tertia, ante regenerationem ſu=
mus malæ arbores, quæ iuxta ſententi=
am Chriſti, non poſſunt, niſi malos
preducere fructus, vbi ergo meritum
congrui?

Quarta, impoſſibile eſt placere
Deo ſine fide, & quicquid non eſt ex
fide peccatum eſt. Proinde cum non
regenitus fidem non habeat, atq; ideo
Deo non placeat, quale quæſo congrui
meritum habere poterit?

Meri=

Meritum digni iuxta sophistas est, in quo vir iustus pro alio orans meretur exaudiri. fateor ego sané, virum fide iustum efficaciter pro alio orare posse, quia & mandatum & promissionem habet, sed ipsum sua dignitate quicquam mereri pernego. Non enim in suo nomine quicquam petit iustus, sed in nomine Christi precatur & exauditur, iuxta promissionis verbum, quicquid petieritis patrem in nomine meo hoc dabit vobis.

Meritum ex condigno est, cuius causa omnino debetur merces, seu est meritum pro quo exigitur præmium ex debito. Hoc asscribunt operibus quæ a pijs fiunt post regenerationem. Porro hoc debitum duplex faciunt, pacti & rigoris iusticiæ. Verum quicquid ex pacto pijs promittitur, mercedis quidem nomine promittitur, quæ est compensatio obedientiæ seu crucis, sed meritum nusquam in scriptura

tura inuenitur. Huc accedit quod ad meritum condigni requiratur proportio æqualitatis meriti ad præmium. Lucæ 17: ſic ait dominus. Cum omnia feceritis quæcunq; præcepta ſunt vobis, dicite inutiles ſerui ſumus. Eſai: 64. Quaſi pannus menſtruatæ, vniuerſæ iuſticiæ veſtræ. Et Rom: 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur erga nos.

Iam eorum quoq; errores facilé diluuntur, qui opera antecedentia fidem, coniuncta cum fide, & eandem conſequentia in cauſis vel partibus iuſtificationis collocant. Si antecedentia fidem opera requiruntur ad iuſtificationẽ, aut bona aut mala requiruntur. Mala autem nequaquam requiri, in confeſſo eſt. Nulla autem bona ſunt, Si Chriſto credimus, qui ait, non poteſt mala arbor bonos fructus edere.

edere. Et quicquid ex carne natum est, caro est. Necq coniuncta requiruntur, vt partes aut causæ ad iustificationem. Quia Paulus de reiectis iudæis ait: volentes stabilire propriam iusticiam, iusticiæ Dei non fuerunt subiecti. Huc facit integra disputatio Pauli in Epistola ad Rom: Itẽ ad Gala: 2. 3. 4. capitibus. Præterea consequentia opera non requiri ad iustificationem, ex eo patet, quia tum effectus esset sua causa prior, aut pars suo toto posterior, quo nihil absurdius fingi potest. Peræqué absurdum est, quod dicunt, bona opera esse formam iusticiæ, quia fides per charitatem agit, & fides sine operibus, a Iacobo mortua dicitur. Quasi veró vel corpus animæ forma propterea dici debeat, quia anima per corpus agit, vel fides vera poßit sine operibus esse, quam cum Iacobus mortuam sine operibus facit, ex eorũ hypothesi loquitur, qui noticiam historiæ nudam pro viua, & efficaci fide iacta-

iactarunt, cum tamen eius vis non conspiciebatur in externis moribus. Horum errorem confutat Iacobus. Porro illi, qui supererogationis opera iactant, hac refutantur demonstratione. Quæcunque opera sub lege Dei comprehenduntur, falso vocantur supererogationis, Nam omnia sunt debita iuxta illud, quod scriptum est. Cum omnia feceritis, quæ præcepta sunt, dicite, inutiles serui sumus, quod debuimus facere fecimus. Atqui nullum opus bonum est, nec Deo acceptum, quod lege Dei comprehensum non sit. Sunt enim duo ordines bonorum operum. Aut enim ad Dei cultum, aut ad charitatem proximi referuntur. Nullum autem ad Dei cultum pertinet, quod non continetur sub hoc capite, dilige dominum Deum tuum. Et nullum etiam officium est charitatis, quod non requiratur illo præcepto. Dilige proximum tuum sicut teipsum. Cum ergo isti opera supererogati-

gationis vocant opus consilij, vel quod fit vltra id quod quis debet satis osten dunt hac sua definitione, quod nec sub cultu Dei, nec sub charitate proximi continetur illud opus, quod illi supererogant. Quod autem Samaritani dictum ad hospitem huc torquеant, violenter faciunt. Non enim valet alegoria, vbi facem apertæ scripturæ non sequatur.

Quod autem Paulus abstinuerit á stipendio, quod licuisset, iuxta ordinariam pastorum vocationem accipere, in eo nibil facit Paulus, quod non debuerit, debuit autem, quantum in se fuit cauere offendiculum, quod & vera Dei dilectio & charitas proximi requirit. Quare non est, quod facto Pauli suum stabiliri errorem existiment.

Iam ad sententiam Osiandri veniamus, qui iusticiam Christianam dicit esse essentialem Dei iusticiam in nobis

nobis cum tamen apertiſsimis Pauli verbis conſtet, eam iuſticiam, qua iuſti ſumus coram Deo, non eſſe aliud quam obedientiam Chriſti. Sic enim ait Paulus Rom: 5. Per obedientiam vnius, iuſti conſtituentur multi. Obedientiam intelligit Paulus, vt ſeipſum interpretatur Philip: 2 Qua humiliauit ſeipſum, & factus eſt obediens vſq; ad mortem crucis. Hanc Chriſti iuſticiam ſeu obedientiam dicit Paulus imputari credentibus. Ergo non eſt illis vel inhærens ſubſtantia vel qualitas, qua formaliter homo ſit iuſtus. Quare firmiter tenenda eſt hæc aſſeueratio, quod iuſticia Chriſtiana ſit obedientia filij imputata credenti. Verum interea & hoc tenendum eſt, quod ſcriptura triplicem iuſticiam nobis commendet, quarum Prima fidei eſt, qua conſiſtimus coram Deo & hæc eſt perfecta, vt Chriſti obedientia eſt perfecta. Nec minuitur aut

augetur decremento aut increm̄eto fi-
dei. Nam hanc plenā habuit & Mag-
dalena & Petrus, tametſi petri fides
fuit multo illuſtrior.

Alia eſt iuſticia, quæ dicitur incho-
atio obedientiæ, ſeu nouitas vitæ,
quam vulgó bonæ conſcientiæ iuſti-
ciam appellare ſolemus. hæc non op-
ponitur iræ Dei, quia non eſt perfec-
ta legis obedientia, ſed ſolomodo ſanc-
tificationis in credentibus initium eſt.

Alia eſt iuſticia quam non conſe-
quimur in hac mortali vita, ſed eam
expectamus de qua Paulus ad Gala:
5. Nos ſpiritu ex fide ſpem iuſticiæ
expectamus. Et Iohan: in Primæ ter-
tio. Chariſſimi filij Dei ſumus, & non-
dum apparuit, quid erimus. Scimus
quoniam quando apparuit, ſimiles ei
erimus, quoniam videbimus eum ſi-
cuti eſt, & omnis qui habet hanc ſpem,
in eo, purificat ſe, ſicuti ipſe ſanctus eſt.
Hæc proinde iuſticiá erit conformi-
tas noſtri cum Deo, habitatio Dei
in no-

in nobis, plena fruitio Dei, absoluta dilectio.

Quamquam autem fatendum est, corda credentium esse templa spiritus sancti. Et Christus dicit Iohan: 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud ipsum faciemus: Tamen ex eo non sequitur, hanc habitationem Dei, in nobis, esse iusticiam, qua consistimus coram Deo, sed est præsentia diuina, in nobis per quam magis magisq renouamur, & consolationem sentimus, ac vitam æternam inchoamus. Nam si hic homines iustificarentur iusticia essentiali, non esset descrimen inter iusticiam, qua in hac vita sumus iusti, & eam, qua conformes erimus Deo, in omni æternitate. Sed Paulus manifesté discernit inter hanc & illam, Nam fidei iusticiam dicit, nos nunc in hac vita

 habere,

habere, ſed expectare aliam iuſticiam, qua ſimiles Deo erimus, quæ ſimilitudo inde emanabit, quod videbimus eum, ſicuti eſt. Hæc ſint dicta de ĳs, qui bonis operibus in cauſis iuſtificationis locum tribuunt. Nunc ad ſecundum errorum genus tranſeamus. Sunt enim, qui tametſi in cauſis iuſtificationis bona opera non numerant, ea tamen neceſſaria ad ſalutem & vitam æternam prædicent. Quanquam autem opera omnino neceſſaria eſſe in conuerſis, ex dictis manifeſtum eſt, tamen diligenter cauendum eſt, ne ita neceſsitas doceatur, vt videatur neceſsitas ſalutis conſequendæ in operibus ſtatui. Nam dicere, opera neceſſaria ad ſalutem & vitam æternam, modò proprietas ſermonis ſeruetur, eſt dicere, opera cauſas & merita ſalutis eſſe. Verum huius propoſitionis autor id nequaquam voluiſſe videtur. Sed hoc potius, vidit frigere ſtudium bene operandi inter homines, quemadmodum

dum & Iacobus suo tempore, at cum huic malo mederi vellet, opera omnino ad salutem & vitam æternam necessaria defendere cæpit: cum tamen ista hyperbole nihil aliud voluerit author eius propositionis, pius & doctus quam opera necessarió cohærere fidei, sine qua nemo saluatur, & consequitur vitam æternam. Quæ sané sententia verissima est, fieri enim non potest, vt fides destituatur bene agendi studio. Etsi autem hanc sententiam & interpretationem libenter cum illo recipimus, tamen istam loquendi rationem omnino reÿcimus, nec volumus cũ illo dicere, opera esse necessaria ad salutem & vitam æternam. Cur autẽ ab ista propositione abstinendũ esse iudicamus, grauissimas habemus causas, quarum prima est, quod illa propositio propriÿssime accepta pugnet cum fundamentis ac primis axiomatis fidei nostræ. Quare vt falsa: Ita omnino

absur-

absurda & fugienda est. Nam illud proprié necessarium ad aliquid dicitur, quod est propria & necessaria causa alicuius, vt sit. Iam autem ex Paulo constat, quod opera hominum nec sint causæ salutis, nec vitæ æternæ. Paulus enim Ephesiorum 2. de salute ita ait. Gratia saluati estis per fidem (& hoc non ex vobis, Dei donum est) non ex operibus, ne quis glorietur. nec dubium est, quin Paulus totius nomine omnes eius partes complectatur Cum igitur salutem nominat, non solum iustificationem sed etiam glorificationem intelligit, quæ duæ salutis partes sunt.

De vita æterna ita ait Paulus Rom. 6 Donum Dei est vita æterna in Christo Iesu domino nostro.

Secunda causa est improprietas. Nam cum ex priori causa constet, proprié non posse accipi illam propositionem, fugienda est tanquam impropria.

Et si

Etſi autem multæ ſunt locutiones in ſcriptura & in ſanctis patribus figuratæ, tamen omnino impropriæ dicendæ non ſunt. Non enim impropriæ ſunt, quo ad verum intellectum attinet. Nam ſunt veluti picturæ orationem aliquo tropo aut ſchemate ornantes.

At hæc oratio, opera ſunt neceſſaria ad ſalutem, & vitam æternam, cum nullo tropo excuſari poſſit, quin ſecundum verum intellectum impropria ſit, merito fugienda eſt.

Tertia cauſa eſt periculum in rudioribus. Nam hæc propoſitio a rudibus audita, tanquam breuis gnoma retinetur, ac ita in deſperationem hominem legis comminationibus tentatum facile adigit. Quare ne quis periclitetur hac noua loquendi forma deceptus, periculi ratio merito habenda eſt.

Quarta cauſa eſt quod hæc locutio proprié accepta conſolationem

Euangelium tollit, & non parum obscurat beneficium mediatoris, cuius solius merito & virtute saluamur & vitam consequimur æternam.

Propter has causas, profuerit ab ista loquendi forma, falsa, impropria, periculosa & quodamodo in sanguinem mediatoris contumeliosa, si modo orationis proprietas seruetur. Cum igitur propter enumeratas causas, autor huius propositionis ab ea iam abstineat, à fratribus admonitus, meritó laudandus est, vt qui animaduerso periculo, pluris salutem Ecclesiæ fecerit, quam vt eam aliqua impropria & incommoda loquendi ratione offenderet.

Tertius error sequitur, qui eorum est qui nimium extenuant bené operandi necessitatem, cum ex scriptura necessitas bené operandi multiplex colligi possit, vt est conuersionis & regenerationis: Deinde necessitas mandati

dati Dei, cultus debiti Deo, fidei retinendæ, & vitationis pænarum.

Neceſsitas conuerſionis inde comprobatur, quod dominus apud prophetam dicat, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Hic coniungit dominus conuerſionem & vitam qua viuificatur conuerſus ad Deum per veram pœnitentiam: Nam cum fit conuerſio, ſimul viuificatur homo fide, per ſpiritum ſanctum, quæ viuificatio nunquã á conuerſione ſeparari poteſt. Nec hæc viuificatio aliud eſt, qvam inchoatio nouæ vitæ (cuius vitæ actiones ſunt opera legi Dei congruentia) noua lux, ſapientia, iuſticia, & renouatio imaginis Dei in nobis. quis non videt, hanc conuerſionis & regenerationis neceſitatem maximam eſſe, vt merito culpandi ſint, qui nimis leuiter de bené operandi ſtudio docent & contionantur. Deinde cogitctur

necessitas mandati, quæ est, quod Deus obedientiam erga suam legem serio & seuere mandat in præceptis, inquit, meis ambulate. Et Paulus. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.

Huc accedit necessitas cultus debiti Deo. Rom: 8. debitores sumus Dei non carnis. Non enim nostri iuris sumus sed eius qui redemit nos suo sanguine.

Quarto loco cogitetur necessitas fidei retinendæ. Si quis inquit Paulus, suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegat & est infideli deterior. Et rursus, Milita militiam honestam, habens fidem & bonam conscientiam, quarum neutra retineri potest, dum quis sciens & volens in peccata ruit.

Postrema necessitas est
tentur pænæ, iuxta illud
propter iniquitatem corripis
minum Huic multiplici necess.
cedunt duæ aliæ grauissimæ

nempe dignitas & præmium. Dignitas in hoc ſita eſt, quod homo conuerſus, factus ſit noua creatura, nempe filius Dei. Iuxta illud, dedit dignitatem hanc, vt filij Dei fierent, quotquot credunt in illum. Quanta quæſo dignitas, quod credentes ſint templum ſpiritus ſancti viuentis, quod Chriſtus in ipſis habitet, per fidem, quod pater filius & ſpiritus ſanctus ad illos veniant, & in eis manſionem ſibi deligant. Contra perpendendum eſt, quantum ſit ſcelus, filios Dei imaginem hoſtis referre, quantum periculum ſit templum Dei Sathanæ fætore conſpurcare ac prophanare, quam denique immane ſit, Deum e ſuo hoſpitio exturbare. Quare filios Dei decet imitari cæleſtem patrem, qui dicit. Sancti eſtote quia ego ſanctus ſum, hinc Paulus dicit nos vocatos ad ſanctificationem non ad immunditiem.

Altera cauſa eſt præmium, hoc eſt compenſatio pacientiæ & obedientiæ

creden-

credentium. Quod ſane præmium non datur, propter operis in ſe qualitatem, ſed propter paternam clementiſſimi patris promiſſionem eamq́ gratuitam.

Deinde ad acre bené operandi ſtudium inuitabunt nos promiſſiones diuinæ, quæ bonis operibus paſſim in ſcripturis adijciuntur. Etſi enim bona opera piorum ſunt & debita ſeruorum officia, & multis modis, omiſſione & commiſſione contaminata: Tamen deũ ijs promiſſiones, ob multas adiecisse cauſas ſciendum eſt, quo magis exitemur ad bené operandi ſtudium: Cauſæ autem precipuæ cur Deus bonis operibus paternas ſuas promiſſiones adiecerit, quinq́ numerari poſunt. quarum Prima eſt, vt ſint teſtimonia prouidentiæ Dei, vult enim Deus nos ſcire, & bona corporalia, res eſſe ab ipſo creatas, & non caſu ſpargi, ſed ab ipſo, Eccleſiæ dari & conſeruari. Iuxta dictum.

Ipſe

ipſe eſt via tua, & longitudo dierum tuorum, in diebus famis ſaturabuntur. Diuites eſurierunt, timenti autem Dominum non deerit vllum bonum. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.

Secunda vt ſint teſtimonia, quod Deus velit etiam in hac vita ſeruare Eccleſiam. Quare Paulus 1 Timoth 4. inquit, Pietas habet promiſſiones præſentis vitæ & futuræ, Quia enim vult Deus immenſa ſua bonitate, colligere Eccleſiam, propter filium mediatorem, ſeruat hunc naturæ ordinem, fęcundat terram, vt alat Eccleſiam in hac vita. Et cum propter Eccleſiam cęteros paſcat, nos qui ciues Eccleſię ſumus, precipuè grat eſſe decet.

Tertia, quia vult Deus, tatem corporalem eſſe comm tionem de fide, inuocation

tiarum actione, Ideo promissiones edidit, & quidem vult hæc ipsa bona fide peti & expectari, & in hac petitione & expectatione, fidem, spem, pacientiam & cæteras virtutes crescere.

Quarta. Vt sint commonefactiones de promissione gratiæ. quia fidem quæ agnoscit filium & accipit reconciliationem, oportet semper preluce re in petitione corporalium rerum, & quidem propter filium, cetere promissiones edite & rate sunt. Hec omnia comprehenduntur in dicto, quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.

Quinta. Quia Deus vult nos vtrumq; scire, & Ecclesiam cruci subiectam esse, & eandem inter ipsa pericula mirabiliter seruari in hac vita, contra furores diabolorum & impiorum hominum, qui perpetuo se Ecclesie Christi, que admodum exigua est in hac vita, se opponunt, quam Deus nihilominus mirabiliter seruat,

